



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 6. Vtrum de essentia beatitudinis sit certitudo de ipsius perpetuitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

telligibilis, possidetur à beatis per hoc, quod visione intellectuali experiantur diuinam bonitatem, & suauitatem. Dæmones ità Deum cognoscunt, vt videant & experiantur se carere tum visione Dei sibi debita ratione eleuationis, tum illa contemplatione naturali, in qua pro statu puræ naturæ consisteret felicitas; ergo cum ita cognoscant Deum, vt experiantur se per priuationem visionis separari à Deo, tali cognitione non beatificantur, sed torquentur, eo pacto, quo torquemur cognitione, qua experimur separari partes continui, vel animam separari à corpore. Exemplum diuitis retorquetur. Nam sicut diues non acquirit diuitias per hoc, quod illas desideret, & amet, neque per hoc, quod quiescat in diuitijs habitis, sed per hoc, quod manu, siue alia ratione diuitias apprehendat; sic beatus non acquirit summum bonum per vllum actum voluntatis, sed per hoc, quod illud apprehendat actu intellectus, quasi quadam manu; siquidem intellectus siue mens ab Aristotele in Proble. sect. 13. Probl. 4. comparatur manui, quia sicut res corporaliter apprehendimus manu, sic intelligibiliter apprehendimus intellectu, seu mente.

37. Ad 5. nego antecedens, ac dico quod mala obiectiua extrinseca fiunt nostra per hoc, quod illa experimentaliter percipiamus; e. g. sapores amari, & insuauis fiunt malum gustus per hoc, quod gustus illos experimentaliter percipiat; ergo à pari; & sic retorquetur argumentum. Deus licet cognoscat se offendi, tamen quia cognoscit offensam non esse malum læsiuum Dei offensi, sed creaturæ offendentis, non dolet de offensa; si autem experiretur offensam esse malum læsiuum Dei, doleteret, sicuti dolet homo, quia cognoscit offensam esse malum læsiuum hominis offensi; ergo offensa extrinseca, si sit malum obiectiui, ac læsiuum, cognitione experimentaliter fit malum formale, ideoque causat dolorem.

38. Ad 6. distingo antecedens: qui Deum videret, eoque non frueretur, non esset essentialiter beatus ex eo, quod non videret in sua esse potestate Deum semper videre, eoque frui, prout requiritur ad visionem beatificantem, vt dictum est conclusione 2. concedo antecedens; non esset essentialiter beatus ex præciso defectu fruitionis consequentis visionem, nego antecedens; & nego consequentiam. Repugnat, vt qui videns Deum habet in sua potestate Deo frui, non fruatur Deo; siquidem visio summi boni necessitat ad illud amandum amore fruitiuo; ergo qui Deum videret, & non frueretur, non videret in sua esse potestate frui Deo, adeoque non esset beatus, quia non haberet visionem requisitam ad beatitudinem, vt explicatum est conclusione 2.

39. Ad 7. concedo antecedens, & distingo consequens; ergo beatitudo integraliter perfecta consistit tum in visione, tum in amo-

re fruitiuo, seu gaudio, vt dictum est conclusione 3. concedo consequentiam; ergo beatitudo essentialiter perfecta &c. nego consequentiam. Scripturæ, & PP. loquuntur de beatitudine integraliter perfecta, ideoque promiscuè dicunt illam consistere in visione, vel amore fruitiuo, abstrahendo à quæstione purè scholastica, in qua quaritur, vtrum beatitudo essentialis consistat in altera tantum, vel in vtraque operatione. In eodem sensu, & sub eadem abstractione Benedictus XII. loquens de beatitudine integraliter perfecta dicit, animas Sanctorum etiam antedem iudicij esse beatas, Deum videndo, eoque fruendo. Ideo vt bene aduertit Vasquez 1. 2. disput. 11. cap. 3. num. 16. in quæstione de beatitudine essentiali, nulla contrariarum opinionum potest solidè probari auctoritate Scripturarum, & Patrum, qui abstrahunt à puncto scholastico; sed solum potest probari rationibus, & auctoritatibus Scholasticorum.

40. Ad 8. nego antecedens, & dico quod iuxta principia Aristotelis 10. Ethicorum, cap. 7. beatitudo purè naturalis consisteret in perfecta Dei contemplatione naturali moraliter necessitante ad quiescendum in Deo, tanquam in obiecto contemplationis. Sed hæc quæstio non spectat ad Theologum, sed ad Philosophum moralem.

41. Ad 9. distingo maiorem; vt natura rationalis beatur essentialiter, debet possidere summum bonum per vtramque potentiam, & per vtramque satiari, si vtraque sit capax possidendi, transeat; si vna tantum sit capax possidendi, nego. Solum intellectus per suam operationem possidet summum bonum, voluntas non possidet, sed quiescit in summo bono vt iam possessio; ergo natura rationalis beatur per solam operationem intellectus, per operationem voluntatis non potest essentialiter beari, sed solum potest quiescere in beatitudine, & in summo bono vt iam possessio.

42. Ad 10. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod vt felicitas diuina fiat beatis obiectum summi gaudij, hoc est obiectum, de quo debeant summè gaudere, sufficit, vt per visionem experimentaliter percipiant Deum esse felicem. Nam eo ipso ità illum possident, vt necessitentur ad Deum summè amandum amore fruitiuo, & ad summè gaudendum de diuina felicitate.

QVÆSTIO VI.

Virum de essentia beatitudinis sit certitudo de ipsius perpetuitate?

S. Thom. 1. 2. quæst. 5. art. 4.

1. **P**rimò videtur repugnare, vt beati ità Deum videant, vt per eandem visionem sint certi de perpetuitate suæ beatitudinis. Si enim visio Dei certificaret de perpetuitate, bea-

beatitudinis, certificaret de perpetuitate sui ipsius, ac proinde talis visio esset indestruibilis etiam de potentia absoluta Dei; sed implicat creatura indestruibilis; ergo &c.

2. Secundò videtur talis certitudo non requiri ad beatitudinem. Vt enim obijcit Durandus in 4. dist. 49. quæst. 6. visio certificans de perpetuitate esset eiusdem speciei, ac visio non certificans de perpetuitate; ergo si prima sufficeret ad beatificandum, etiam secunda sufficeret. Confirmatur: nam visio non certificans de perpetuitate posset videre Deum, multò perfectius, quam visio certificans; sed si visio imperfectior sufficit ad beatificandum, à fortiori sufficit visio perfectior; ergo.

3. Tertiò beati incomparabiliter magis diligunt Deum, quam se ipsos; ergo ad beatitudinem sufficit, vt satiatur amor, quo diligunt Deum, licet non satiatur amor, quo diligunt se ipsos; sed amor charitatis, quo diligunt Deum, satiaretur per hoc, quod viderent Deum fore beatum in perpetuum, etiam si non viderent se ipsos fore beatos in perpetuum; ergo &c.

4. Quartò repugnat, vt si beato loco gaudij incomparabiliter minoris addatur gaudium incomparabiliter maius, non remaneret beatus; sed si beato loco gaudij, quo gaudet de perpetuitate suæ beatitudinis, daretur nouum gaudium, quo, quia Deum melius videret, magis gauderet de perpetuitate beatitudinis diuinæ, loco gaudij minoris daretur gaudium incomparabiliter maius; ergo.

5. Quintò si ad beatitudinem requireretur, vt beatus videret perpetuitatem suæ beatitudinis, cum ista perpetuitas sit creatura, Deus non esset adæquatam obiectum beatificum, & quietatiuum beati; quod est absurdum.

6. Sextò eatenus ad beatitudinem requireretur certitudo de ipsius perpetuitate, quatenus qui non haberet talem certitudinem, eo ipso esset inquietus, & sollicitus; sed posset videns Deum non cogitare de hoc, quod esset amissurus beatitudinem, & sic non esset inquietus, nec sollicitus; ergo.

7. Septimò ad beatitudinem naturalem sufficeret certitudo moralis, ac non requireretur certitudo metaphysica de eius perpetuitate; ergo etiam ad beatitudinem supernaturalem.

8. Respondeo plures Platonicos existimasse omnes res creatas moueri motu quodam circulari, ita vt cum videntur peruenisse ad finem, moueantur ad suum principium, & in nullo termino quiescant. Hunc errorem secutus est Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 5. & lib. 2. cap. 3. ideoque vt referunt Epiphanius epist. ad Ioannem Hierosolymitanum, Hieronymus Apologia contra Rufinum, & epist. 59. ad Auitum, Theophilus in suo Paschali lib. 2. Augustinus lib. de Hæresibus cap. 43. & lib. 2. de Ciuit. cap. 17. & S. Thomas 1. 2. qu.

5. artic. 4. docuit beatitudinem, & miseriam alterius vitæ non fore perpetuas, sed post multa tempora futuras quasdam vicissitudines, ita vt beati damnentur, & damnati beentur.

9. Contra hunc errorem de fide est visio nem Dei, quæ est nostra beatitudo, & penas damnatorum fore perpetuas. Definita est hæc veritas in 5. Synodo generali, & in 6. Synodo Generali in Epistola Sophronij Act. 11. quæ Epistola approbata est act. 13. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur cap. *Firmiter*. Colligitur autem aperte ex Scriptura. Nam Sapient. 5. dicitur. *Iusti autem in perpetuum viuunt*: Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in Cælo, ubi neque arugo, neque tinea demolitur*: Apoc. 20. de damnatis dicitur, *Cruciantur die, ac nocte in sæcula sæculorum*: Marci 9. *Vermis eorum non morietur*.

10. Superest quæstio scholastica, vtrum de ratione, & essentia beatitudinis sit, vt sit realiter, & intentionaliter æterna, ita vt beatus debeat esse certus de sua æterna beatitudine, & eo ipso, quod quis tali certitudine careret, non esset beatus; an verò licet de facto in hac prouidentia beati sint certi de æternitate suæ beatitudinis, possent in alia prouidentia esse verè beati sine tali certitudine, & absque eo, quod de facto futuri essent in æternum beati. In hac controuersia Scotus in 4. dist. 49. quæst. 7. Durandus eadem dist. quæst. 6. Paludanus ibidem quæst. 5. Ocham in 4. quæst. vltima, quos referunt Suarius Tom. de Actibus Humanis, tract. 1. disp. 14. sect. 3. num. 3. & Vasquez 1. 2. disput. 21. cap. 3. num. 9. respondent cum distinctione, ac docent, quod si nomine beatitudinis intelligatur operatio possessiua Dei intensiue perfecta, ad beatitudinem non requiritur ipsius perpetuitas, nec certitudo de perpetuitate. Ratio est, quia operatio possessiua Dei, puta visio, vel amor potest esse intensiue perfecta sine perpetuitate, ac sine certitudine de perpetuitate. Si verò nomine beatitudinis intelligatur operatio possessiua Dei perfecta etiam extensiue, siue duratiue, ad beatitudinem requiritur perpetuitas. Ratio est, quia operatio possessiua Dei, si non sit æterna à parte post, non est perfecta extensiue. Videntur autem insinuare nomine beatitudinis intelligi debere operationem solum intensiue perfectam, ac proinde ad beatitudinem non requiri perpetuitatem.

11. Contra hanc opinionem dicendum cum S. Thoma 1. 2. quæst. 5. artic. 4. quem sequuntur Caietanus, & Conradus in eum articulum, Sotus in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 4; & recentiores Thomistæ communiter, nec non Suarius Tom. de Actibus Humanis, tract. 1. disput. 14. sect. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 21. cap. 3. De ratione, & essentia beatitudinis etiam in quantum est operatio possessiua Dei intensiue perfecta, est, vt si certa, & segura de sua æterna duratione, & consequenter vt sit æterna à parte post.

12. Probatur: nam de ratione, & essentia beatitudinis intensiue perfecta est, vt sit possessio summi boni, non qualiscunque, sed quietatiua naturalis desiderij, non ex errore, ignorantia, vel inaduerentia, sed ex sua perfectione; ideoque beatitudo definiri potest *possessio summi boni satiatiua naturalis desiderij, non ex errore, ignorantia, vel inaduerentia, sed ex perfectione ipsius possessionis*; sed possessio summi boni non includens certitudinem de sua perpetuitate, non esset ex sua perfectione quietatiua naturalis desiderij, sed solum posset illud quietare ex errore, ignorantia, vel inaduerentia; ergo est de ratione, & essentia beatitudinis intensiue perfecta est, vt includat certitudinem de sua perpetuitate. Probatur minor: nam per naturale desiderium volumus esse beati in perpetuum; ergo vt possessio summi boni quietet naturale desiderium, debet esse talis, vt per illam beatus sit certus, quod possidebit summum bonum in æternum, & eo ipso, quod non includat talem certitudinem, non potest ex sua perfectione quietare naturale desiderium, sed solum potest illud quietare ex errore, ignorantia, vel inaduerentia.

13. Confirmatur ex Augustino, qui lib. 10. de Ciuit. cap. 3. loquens de vita beatorum dicit: *Qua beatissima esse non poterit, nisi de sua fuerit æternitate certissima*; & ibidem: *Non enim beata erit, nisi secunda*; & lib. 11. cap. 25. *Sed etiam ipse iustus non vivit, vt vult, nisi eo peruenerit, ubi mori, falli, offendi non possit, eique sit certum ita futurum*.

14. Inferitur primò contra Scotum, Durandum, & alios relatos num. 10. certitudinem de perpetuitate esse de ratione beatitudinis intensiue perfecta. Ratio est, quia vt beatitudo sit intensiue perfecta, debet ex sua perfectione esse quietatiua naturalis desiderij; sed nisi sit certa de sua æternitate, non potest ex sua perfectione esse quietatiua naturalis desiderij; ergo.

15. Inferitur secundò ad beatitudinem requiri, vt sit possessio comprehensua Dei comprehensione opposita insecutioni, vt docet S. Thomas 1. par. quæst. 22. art. 7. ad 1. Ratio est, quia comprehensio opposita insecutioni est, per quam bonum ita apprehenditur, & tenetur, vt sit in potestate apprehendentis semper bonum illud tenere, illoque frui, iuxta illud Sponsæ cantic. 3. *Tenui eum, nec dimittam*; sed ad beatitudinem requiritur, vt beatus ita possideat summum bonum, vt sit in eius potestate in æternum id possidere, eoque frui, & vt sit certus, quod nunquam summo bono priuabitur; ergo de essentia beatitudinis est, vt sit possessio summi boni comprehensua ipsius comprehensione opposita insecutioni. Ideo Apost. ad Philip. 3. dicebat: *Sequor autem, si quo modo comprehendam*; & 1. ad Cor. 9. *sic currite, vt comprehendatis*.

16. Ad 1. respondeo primò aliquos concedere sequelam, ac docere, quod non repugnat actus indestruibilis propter connexionem

intentionalem cum decreto Dei nunquam destruendi talē actū, sed solum repugnat creatura essentialiter indestruibilis, præscindendo à tali connexionem. Respondeo secundo, negando sequelam. Dico igitur, quod si visioni creatæ repugnat indestruibilitas etiam fundata in connexionem intentionali cum decreto nunquam illam destruendi, beati per visionem beatificam vident se perpetuò visuros Deum, vel hac numero visione, vel alia omnino æquali, ideoque sunt certi de hoc, quod in perpetuum erunt beati, quod sufficit ad quietandum.

17. Ad 2. transeat antecedens, & nego consequentiam. Nam vt visio beatificet non sufficit, vt sit talis in specie, sed requiritur vltorius, vt habeat prædicatum quietatiui: sed visio certificans de perpetuitate haberet prædicatum quietatiui, visio non certificans non haberet hoc prædicatum; ergo &c.

18. Ad confirmationem, transeat antecedens, & nego consequentiam. Vt enim visio sit beatifica, non sufficit, vt sit perfectior simpliciter, sed requiritur, vt habeat hoc prædicatum quietatiui naturalis desiderij; sed nisi sit certa de sua perpetuitate, non potest esse, quietatiua naturalis desiderij, quo desideramus esse beati in perpetuum; ergo. Confirmatur solutio: nam per aduersarios licet omnes visiones Dei sint eiusdem speciei, tamen potest vna certificare de aliquo prædicato, de quo alia non certificat: de facto enim non omnes beati vident in Deo easdem creaturas possibiles, vel existentes; ergo potest vna visio certificare de sua perpetuitate, adeoque esse quietatiua, alia eiusdem speciei non certificare de sua perpetuitate, ac non esse quietatiua. Rursus sicut per aduersarios visio perfectior potest non videre in Deo aliquas creaturas possibiles, vel existentes, quas videt in Deo visio imperfectior, sic visio perfectior potest non videre in Deo suam perpetuitatem, ac proinde non esse quietatiua, visio autem imperfectior potest videre in Deo suam perpetuitatem, & sic esse quietatiua.

19. Potest quæri, vtrum si Moyses, & Sanctus Paulus, dum adhuc essent in via, eleuati sunt ad visionem momentaneam diuinæ essentia, vt opinati sunt S. Augustinus lib. 12. super Genesim, cap. 26. 27. & 28. epist. 112. & S. Thomas 1. par. quæst. 12. art. 11. ad 2. fuerint beati.

20. Respondeo, quod si non fuerunt certi, quod post statum viæ erant futuri beati in æternum, non fuerunt beati, quia talis visio non fuit quietatiua naturalis desiderij; si autem fuerunt de hoc certi, fuerunt beati, quia talis visio fuit quietatiua naturalis desiderij. Qui enim est certus, quod licet beatitudo sit pro aliquo tempore interruptenda ad acquirendum maius meritum, deinde erit beatus in æternum, potest quietari.

21. Ad 3. respondeo primo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Beatitudo debet esse quietatiua non solum amoris super natu-

naturalis; quo quis diligit Deum, sed etiam amoris naturalis, quo quis diligit se ipsum: sed amore naturali, quo diligimus nos ipsos, volumus esse beati in æternum: hic autem amor non quietatur sine certitudine de nostra æterna beatitudine: ergo. Respondeo secundo concedo antecedens, & primam consequentiam, ac nego antecedens assumptum, & dico, quod sine certitudine de æternitate beatitudinis neque satiaretur amor charitatis, quo diligimus Deum. Ratio est, quia per amorem charitatis, quo diligimus Deum, naturaliter desideramus in æternum Deum videre, & amare, eoque frui; amicus enim ex amore amicitia desiderat videre amicum, & ab eo non separari; sed sine certitudine de æternitate beatitudinis hoc desiderium non satiaretur: ergo.

22. Dices: ad quietandum naturale desiderium sufficit beatitudo naturalis; sed posset quis videns Deum esse certus, quod licet non esset visurus Deum in æternum, tamen loco visionis esset accepturus beatitudinem naturalem æternam; ergo posset quietari.

23. Respondeo, distingo maiorem: ad quietandum naturale desiderium non supponens visionem, & elevationem, sufficit beatitudo naturalis, concedo: ad quietandum desiderium naturale, supposita visione, sufficit beatitudo naturalis, nego: transeat minor; & nego consequentiam. Duplex est desiderium naturale beatitudinis. Primum est, quo non supposita visione Dei, neque vlla elevatione, desideramus esse beati in æternum, & hoc desiderium est simpliciter naturale, & sufficienter quietatur beatitudine purè naturali. Secundum est, quo quis videns Deum, connaturaliter desiderat Deum semper videre, & tali visione esse beatus; & hoc desiderium licet simpliciter sit supernaturale, tamen est naturale ex suppositione visionis, ex qua necessario oriur; & hoc non quietatur, nisi certitudine de perpetuitate visionis, & beatitudinis supernaturalis; sed visio Dei vt beatificet, debet quietare etiam hoc secundum desiderium; ergo debet includere certitudinē de perpetuitate visionis, & beatitudinis supernaturalis. Confirmatur: nam possidens summum bonum possessione supernaturali, eo ipso summo impetu desiderat æternitatem talis possessionis, & nisi de ea sit certus, est summè inquietus, ac proinde non est beatus.

24. Ad 4. distingo maiorem: repugnat, vt si beato loco gaudij incomparabiliter minoris detur gaudium; incomparabiliter maius excitans proportionaliter tantundem desiderij, quod non quietaretur, non remaneat beatus, nego: si non excitet desiderium, quod non quietetur, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Gaudium de aliquo bono quo est maius, eò maius desiderium excitat nunquam amittendi illud bonum; ergo beati quo melius vident Deum, ac magis gaudent bonis Dei, eo

magis desiderant non amittere visionem; amorem, & gaudium de bonis Dei, ac proinde nisi sint certi de hoc, quod nunquam amittent, sunt inquieti, ac ne sint inquieti, necesse est, vt sint certi de æternitate suæ beatitudinis.

25. Ad 5. nego sequelam. Deus est adæquatam obiectum beatificum, & quietatiuum beati, sed vt quietet, non sufficit, vt videatur quomodocunque, sed requiritur, vt videatur visione comprehensua comprehensione opposita insecutioni, vt explicatum est num. 15. per quam nimirum Deus ita apprehendatur, vt sit in potestate beati semper Deum videre, eoque frui; talis autem comprehensio includit, vel trahit certitudinem de æternitate beatitudinis; ergo. Qui Deum videret, sed non certificaretur de perpetuitate suæ beatitudinis, non esset Beatus, non quia non possideret obiectum beatificum, sed quia non possideret possessionem comprehensua, prout ad beatitudinem requiritur.

26. Ad 6. concedo maiorem, & distingo minorem: si quis videns Deum non cogitaret se esse amissurum beatitudinem, non esset inquietus ex errore, ignorantia, vel inaduertentia, concedo: ex perfectione visionis, nego minorem; & nego consequentiam. Ex dictis enim num. 12. in definitione beatitudinis beatitudo debet esse possessio Dei quietatiua ex perfectione ipsius possessionis, non autem ex errore, ignorantia, vel inaduertentia; sed qui videret Deum, & non cogitaret se amissurum beatitudinem, quietaretur solum ex ignorantia, vel inaduertentia; ergo non esset beatus.

27. Ad 7. transeat antecedens, & nego consequentiam. Beatitudo naturalis comparatur cū supernaturali, tanquā beatitudo imperfecta cū beatitudine omnino perfecta; ergo nō est mirum, quod ad beatitudinē naturalem sufficiat certitudo moralis, ac proinde nō omnino perfecta de sua æternitate, ad beatitudinem supernaturalem requiratur certitudo metaphysica, & omnino perfecta de sua æternitate.

TRACTATUS II.

De Voluntario, & Inuoluntario.

S. Thomas quæst. 6.



EXPLICATIS cum S. Thoma 1. 2. per 5. primas quæstiones ijs, quæ spectant ad beatitudinē, quæ est vltimus finis creaturæ rationalis, sequitur, vt cum eodem quæst. 6. & sequentibus vsque ad quæstionem 21. inclusiuè, agamus de actibus, per quos creatura rationalis se mouet ad vltimum finem; sed creatura rationalis se mouet ad vltimum finem per actus